



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117875

§. 26. Carlomannus oculis privatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Sæculum IX. cima quarta Decembris Successor ei da-
A. C. 873. tus Joannes, hujus nominis Octavus, (*)
 Ecclesiæ Romanæ Archidiaconus, qui
 S. Petri Cathedram annos decem occu-
 pavit. Nunc vero Joannes olim Adal-
 gisi prolem e fonte lustrali levaverat,
 quare Ludovicus Imperator, timens ne
 bellum contra Ducem Adalgisum susce-
 ptum male verteret, ex suis misit, qui
 Papam rogarent, ut ad se Capuam ve-
 niret, seque Duci reconciliaret, quo spe-
 cies esset, Imperatorem a Papa exorta-
 tum Duci veniam concessisse.

Ann. Bert.
 872.
Ann. Bert.
 873.

§. XXVI.

Carlomannus oculis privatus.

Rex Carolus in Francia non ignarus,
 quosdam in regno suo rerum novan-
 darum cupidos spem suam in Carloman-
 no posuisse, anno octingentesimo septua-
 gesimo tertio Silvanecti, ubi ille custo-
 diebatur, convocato Conventu Libel-
 lum accusationis obtulit, ad Ansegisum
 Archiepiscopum Senonensem, & Hilde-
 garium Episcopum Meldensem directum,
 quia posterior Carlomannum in Diaco-
 num ordinaverat, & Ansegisus Metro-
 polita ipsius erat. Ad Episcopos pro-
 vinciæ Remensis quoque directæ erant
 que-

Ann. Bert.
 to. 9. Conc.

p. 258.

(*) Hunc Platina Nonum perperam ap-
 pellat.

querelæ, quia oppidum Silvanectense illi provincie subiciebatur. Postquam omnes sententiam protulissent, Carlomannus totius Concilii Judicio a Diaconatu & omni gradu Ecclesiastico depositus Communionem Laicam contentus esse jubetur. Quod ubi factiosi audierunt, nequiquam spem conceptam abjecerunt, dicentes, eum jam ab ordine Ecclesiastico liberatum Regno propiorem esse & aptiorem; quin etiam conjurarunt, se eum quacunque demum via, quamprimum occasio faveret, e custodia liberaturos. Re ad Carolum Regem delata, novum judicium in causa criminum, de quibus non licebat Episcopis cognoscere, ferri jubet, quo Carlomannus ad mortem damnatus. Ut vero & poenitentiae tempus concederetur, & pessimum propositum exequi prohiberetur, una omnium voce statutum, nocenti oculos eruendos esse.

Sæculum IX.
A. C. 873.

Ann. Fuld.
873.

Hæc fors fuit juvenis, quem ad Ordines suscipiendos invitum compulerant.

§. XXVII.

*Concilium Duziacense secundum.
Duda Femina Religiosa.*

Anno sequente octingentesimo septuagesimo quarto decima tertia Junii Rex Carolus ad alterum Concilium Duziacense

Mm 4 ziacense